

11+12/80

KALENDIS DECEMBRIBVS

MCMLXXX



RVMOR VARIVS



RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE
LATINA TVRICENSI in ae-
dibus AKADis editur.

RVMOR VARIVS sexies in
singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis :
(annuum)

| | |
|----------------|-----------|
| In Helvetia | Fr. 8.80 |
| In Germania | DM 16.-- |
| In Austria | 8S 120.-- |
| In ceteris | |
| Europae terris | Fr. 18.-- |

Singula specimina, qui
rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum :

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulricus Aeschlimann
Patricius Hardmeier
Martinus Meier

Impressum et dispositionem
rerum legentibus publican-
darum curat :

Patricius Hardmeier

Typographaeum :

Copy Quick, Turicum

Epistulae, mandata mittenda
sunt ad domum editoriam :

RVMOR VARIVS
Postfach 883
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium :

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-631'783.3

RVMOR VARIVS wird von der
SOCIETAS LATINA TVRICENSIS
unter dem Patronat der AKAD
herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis :
(jährlich)

| | |
|----------------|-----------|
| Schweiz | Fr. 8.80 |
| Deutschland | DM 16.-- |
| Oesterreich | 8S 120.-- |
| Übriges Europa | Fr. 18.-- |

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam :

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulrich Aeschlimann
Patrick Hardmeier
Martin Meier

Graphik und Layout :

Patrick Hardmeier

Druck :

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse :

RVMOR VARIVS
Postfach 883
CH-8050 Zürich

Bankverbindungen :

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-631'783.3

PRÆFATIO

Ulricus Aeschlimann omnibus amicis s.d.p.

Mox annus MCMLXXX praeteritus erit; mirum
est quam celeriter tempus dilabatur! An-
nus, qui sequetur, iam quartus erit vigen-
tis libelli nostri! Numerus autem eōrum,
qui RVMOREM VARIVM adhuc subnotavērunt,
iam magnus est et semper augetur: Sunt ad-
huc circiter CC amici, qui RVMORE VARIO
legendo se sermoni Latino fidem servare
demonstrant.

Cum dies natalis Christi mox adfuturus
sit, ego hōc locō omnibus, qui, quid dono
familiaribus dent, nesciant, proponō:

Subnotate RVMOREM VARIVM amicis vestris
linguae Latinae perītīs dono dandum! Do-
num erit, quō donator sexies in annum ad
memoriam revocabitur. Tale donum enim non
tantum amicos linguae Latinae peritos, ve-
rum etiam eos delectabit, qui gloriosam
Romanorum linguam discere velint. Ergo ne-
cesse est vos, priusquam RVMOREM VARIVM
detis, omni studio ad munus faciendum in-
cumbere. Tempus subnotandi adhuc prosperum
est, nam pretium subnotationis a Kalendis
Ianuariis anni MCMLXXX erit XII francorum
Helveticorum.



Sin autem vobis amici vel nati vel natae sint, qui, quamvis Latine scribere et legere vel non ament vel nequeant, tamen se vestimentis unicis vestire cupiant, vobis aliud donum mirum propono faciendum, quod haud vereor praedicare unicum toto in orbe terrarum: Est enim camisia, quae formam sigilli in parte antica litteris impressis verbum "RVMOR VARIVS" ostendit. Tali modo exornates nostrum collegium redactorum camisas nuper faciendas curavit; quae nunc parvo pretio veneunt atque a vobis, cari amici RVMORIS VARIII, emi possunt. Invenietis in hoc libello condiciones, quibus camisiae illae emantur.

Nunc autem praedicanda est res maximi momenti memoria retentum dignissima:

Martinus Meier, quem interpretem carminum a Mani Matter compositorum noveritis, mense Decembri huius anni in emissione televisoria, quae "Tell-Star" appellatur, de victoria certabit. Qui iuvenis camisia supra descriptam indutus erit, dum emissio manebit, nisi moderatores certaminis ob interdictum conquisitionis prohibuerint, quin illam camisia vestitus vir noster de victoria certet.

Dies, quibus spectaculum televisorium emittetur ab instituto televisorio Helvetico "SRG" erunt:

a.d. VIII Idus Decembres vel Idibus Decembribus (8. oder 15. Dezember) : SEMIFINALE

a.d. IV Kal. Ianuarias (29. Dezember) :
FINALE

Quae ratae partes in hoc libello invenietis? Est fabula a Martino Meier "De leone et camelo" inscripta; sunt fabulae alacres, quas nobis amicus Daniel Weissmann misit e sermone Graeco in Latinum versas.

Dr. Emanuel Bernard de novo itinere suo facto scripsit. Non dubito, quin omnes ratae partes vos delectent!

Felices dies festos felicemque novum annum vobis! Curate, ut valeatis!

Ulricus Aeschlimann

conquisitio, f. = Werbung

NARRATIUNCULAE RIDICULAE GRAECORUM

a.d. VII id. oct. MCMLXXX

Nuper libellum lingua Graeca compositum et inscriptum "Philogelos" (quod Latine "amicus risus" vel "qui ridere amat" significat) nactus sum. Continet id libellum narratiunculas ridiculas Graecas, quas quarto vel quinto saeculo p. Chr. n. compositas esse putant philologi. De auctoribus - duo enim esse videntur - nihil nisi nomina tradita sunt: alter Hierocles nominatur, Philagrios grammaticus alter.

Eas narratiunculas, etsi non omnes eodem modo sunt ridiculae et accidit, ut interdum non comprehendamus, quid sit ridiculi in eis, tamen ego quadam ex parte cum gaudio legi. Itaque nonnullas ex eis narratiunculis Rumoris Varii lectoribus communicaturus sum, ut eis quoque paulum gaudii afferant. Illas e Graeco in Latinum verti, ut etiam linguae Graecae non periti re frui possint.

Sunt paulula praedicenda de personis saepe primas partes agentibus, qui Graece σχολαστικοί appellantur (Latine "scholasticus" scripsi). Quis est σχολαστικός? Significatio prior* eius verbi est "homo doctus". Sed paulatim ea miro modo est mutata ita, ut eo verbo non modo homo doctus, sed etiam fatuus significaretur, et "scho-

* prior: ursprünglich

lastici" in his narratiunculis plerumque sunt fatui, etsi nonnumquam docti fatui. Forsitan et quibus de causis ea mutatio acciderit requiras? Nihil certi notum est, sed opinor id factum esse, quod homines docti vulgo nonnumquam non grati sunt et ab eo deridentur, sive, cum docti interdum una re sint occupati ut omnium aliorum obliviscantur (quis nostrum exemplum eorum hominum ignoret?), sive, cum eveniat, ut homines docti in nimia doctrina implicati simplicia et maxima* non cognoscere possint vel lingua utantur, quam alii homines, imprimis minus literati, non comprehendunt. Itaque non mire accidit, ut vulgus eos nimis doctos libenter deridat et fatuos appellet. Sed desinam explicationibus, ut suspicionem scholastici nimia doctrina imbuti effugiam. Spero vobis narratiunculas paulum risus allaturas esse.

1. Scholasticus asinum suum docere volens non edere, ei pabulum non iam dedit. Asino fame mortuo scholasticus dixit: "O damnum magnum! Vix cum non edere didicerat, mortuus est."
2. Scholasticum in Graeciam iter facientem amicus per litteras rogavit, ut sibi libros emerret et revertens apportaret. Scholasticus eius mandati oblitus, cum post reditum amico occurrit, dixit: "Litteras, quas mihi propter libros miseras, non accepi."
3. Vicinus occurrens scholastico dixit: "Servus, quem mihi nuper vendidisti, mortuus est." Ille respondit: "Mehercle, dum apud me erat, talia non fecit!"

* maxima: hier: das Wesentliche

4. Scholasticus sepulcrum amici videns dixit: "Est pulchrum et magnificum, sed loco insalubri situm."
5. Cum duo scholastici ambulantes gallinam nigram aspicerent, alter dixit: "Forsitan eius gallus mortuus est."
6. Scholasticus navigans naufragio imminente tabulas poposcit, ut testamentum suum faceret.
7. Scholasticus navigans magna tempestate orta et servis suis miserantibus dixit: "Ne fleveritis! Vos omnes enim in testamento meo liberabo."
8. Scholasticus naufragio facto cum videret omnes, qui eadem nave vecti erant, aliquam rem captantes, ut servarentur, ipse ancoram complexus est.
9. In ludis, qui millesimo quōque anno Romae aguntur, scholasticus victum athletam flere vidit. Eum his verbis consolatus est: "Ne dolueris! Proximis ludis millenariis* tu certe vinces."
10. Scholasticus iit amicum aegrotum visitatum. Cuius cum uxor dixisset illum iam foris esse (foris esse = mortuum esse. Mortui enim foris, ante portas urbis sepeliebantur), scholasticus dixit: "Si revenerit, dic ei, quae-so, me hic fuisse."

* ludi milenarii : Tausendjahrfeier

11. Studiosus inopia pecuniae adductus libros suos vendidit et patri scripsit: "Mihi gratulare, pater, nam libri mei me alunt."
12. Cum scholasticus filium in bellum iturum ad portas comitatus esset, filius se hostis necati caput ferentem reversurum esse pollicitus est. Tum pater: "Etiam si te sine capite revertentem videbo, gaudebo."
13. Fatuus, qui audiverat apud inferos iustos iudices esse, cum causam defensurus* esset, se suspendit.
14. Scholasticus, qui filium sepeliverat, eius magistro occurrit et interrogavit, num puer in ludum venisset. Magistro negante ille dixit: "Ceterum mortuus est."
15. Scholasticus amico occurrens dixit: "Audi te mortuum esse." Ille respondit: "Sed vides me vivum." Tum scholasticus: "Sed ille, qui mihi dixerat, multo dignior fide est quam tu."
16. Scholasticus cum medico constituerat, ut ei, si sibi mederetur, praemium solveret. Cum uxor eum febrim habentem vituperabat, quod vinum bibebat, ille respondit: "Num vis me sanatum medico praemium solvere coactum iri?"

* causam defendere: einen Prozess führen

17. Cum Abderis * homo nobilis sepeliretur, peregrinus forte ad funus veniens interrogavit, quis mortuus esset. Unus ex Abderitis se vertit et manu monstrans respondit: Ille in feretro ibi iacens."
18. Abderita mel offerente ad veneundum aliquis degustans id bonum iudicavit. Tum Abderites: "Certe bonum est, et non venderem, nisi mus incidisset."

* Abdera, -orum: Abdera, Stadt in Thrakien
 Abderites, ae: Einwohner von Abdera
 Abderites Graecis idem est ac nobis "Schildbürger"

Amicum esse, cari lectores, et admiratorem Mani Matteri compositorum me haud nescitis. Sed num vobis notum est Matterum non modo carmina, sed etiam fabulas, narrationes, immo dramata creavisse? Ex quibus hodie vos delectet fabula de leone et camelo, quae clare demonstrat non sine potentia esse infirmos contra validos ac potentes.

De leone et camelo

Sole nescio quo die ferventissime de caelo lucente duo cameli tacentes et cogitantes multa ac graviora per deserta Africana meavere. Sic alter iuxta alterum meabant, cum leo quidam relicto harenoso acervo apparuit camelisque obstaculo fuit. Qui paulatim territi leonem, regem illum bestiarum, reverentissime salutaverunt. Neque vero eodem modo agens leo, quem

valde sitientem conspiceres, "Calidum", inquit, "caelum hodie. Horribiliter sitio. Nonne vos quoque siti vexamini?" - Cameli autem subridentes "Non vexamur", responderunt, "aquam enim semper nobiscum portamus." Talibus dictis leoni gibberes dorsales ostenderunt.

"Quid audio?" leo mirari se simulans exclamavit. "Vosne re vera aquam vobiscum portatis? Nonne dare potestis mihi guttas aquae solas nonnullas?"

Maesti abnuentes "Iam potata est aqua et sita in gibberibus nostris nec ullo modo reddibilis. Nobis tantum ipsis ea utendum est", cameli explicaverunt leonem hoc scire rati.

Leo contra voce imminente dentibus fremens "Sic est", inquit, "avaritiae pleni aquam ut vobiscum tenetis, ita ne minimam illius partem quidem concedere vultis mihi!" - "Non nolumus, sed nequimus dare" dicturum camelum alterum leo iam unguibus cepit ac laceravit. Alter intuens scelus tam nefarium nec umquam visum quam celerrime effugit, Leo sanguinis sugendi percupidus persecutione abstinuit. At camelus domum cucurrit, ut toti familiae ibi congregatae tremens, quaecumque essent acta, narraret.

Stupebant tristes ob talia audita cameli omnes oculis multorum lacrimis impletis.

Camelus parvulus tandem timide "Haec in memoriam mihi revocant de agno et lupo fabulam, quam avia nuper narravit." Assentientes cuncti curarum pleni adstabant. Pater devorati solus non flevit. Non cura, sed ira dirissima oculos flagrantem reddidit. Subito "Ulciscendus nobis!" exclamavit. "Ulciscendus nobis est!" Postea

oculis terrificantibus seriem familiarium observans "Quis mecum veniet?" rogavit. "Honos familiaris tutandus est. Egeo quorundam mecum sponte venturorum." Omnibus ultio atrocior videbatur quam ut per eos fieret. Denique filius maior se ad ulciscendum fratrem paratum esse locutus cum patre in deserta abiit.

Die subsequente primum gibberes ad oasis aqua complevere, deinde in via heri sibi a camelo servato descripta ierunt, ut ad sceleris locum pervenirent.

Vix fratris et filii corpus mortui conspiciabant, cum iterum leo, ne procederent, eos impedivit. Dicenti "Calidum hodie caelum, nonne vos quoque sititis?" pater camelus odio ac metu vix occultato "Certo", respondit, "sitimus. Quam ob rem rectissima ituri sumus via ad fontem proximum." Leo valde miratus "Num fons est", inquit, "in hac desertorum parte?" Putaverat enim antea se latius a fecunda regione aberravisse. At nunc oculi gaudii et spei aquae pleni lucebant.

Pater camelus "Scilicet fons est", respondit, "post proximum acervum harenosum. Num tu ignoras?" Et ire perrexit.


Leo, qui se fontem bene scire, sed de eius situ dubitavisse affirmavit, iuxta camelos migrare conatus est. Qui vero tam celeriter ierunt, ut leo summis modo viribus consumptis eos sequeretur.

Advenientibus ad locum indicatum eis nullus potuit aquae fons conspici. Pater camelus "Erravisse me constat; proximum post collem fontem esse oportet." Quo celerius ire perre-

xit. Leoni sequendi fere impotenti nihil nisi potionis spes robora dedit ad currendum. Prope proximum acervum cum denuo ne minimum quidem liquorem aspexissent, camelus pater leonem consolans "Longior est quam putavi via" dixit.

Sic a colle ad collem properavere. Tandem leo, quid facere vellent cameli, intellexit, sed tum cameli adhuc cito meantes subito cucurrerunt, ut assequi eos non iam posset. Ira dentibus fremens ac rauca voce clamitans misero modo in harena periit.


Martinus Meier





RVMOR VARIVS
Postfach 883

CH-8050 Zürich



Camisiae omnes lino xylineo puro con-
fectae sunt. Series venum iens - dif-
ferens a serie tabellis photographi-
cis depicta - signo integro RVMORIS
VARII impressa est.

Archetypum ad camisiâs imprimendas
praeparatum creavit mulier artifex
Kirsten Kersting Constantiae habitans.

Delectus est inter vestimenta diversa
sed eodem modo ornata. Camisiae enim
vel collari manciisque longis vel man-
ciis brevibus et sine collari confec-
tae sunt. Variatio etiam est colorum
(albi vel rubri) et laxitatum (largae,
mediae, tenuis).

De confectionibus extra ordinem inter-
rogate nos machina telephonica:
(01) 821.32.59



Alle Pullover sind aus reiner Baum-
wolle angefertigt. Die zum Verkauf
gelangende Serie ist - abweichend
von der photographisch abgebildeten
Vorserie - mit dem vollständigen
Signet des RVMOR VARIVS bedruckt.
Die Druckvorlage wurde von der Kon-
stanzer Kunstmalerin Kirsten Kersting
geschaffen.

Verschiedene gleichartig bedruckte
Kleidungsstücke stehen zur Auswahl:

- Rollkragenpullover oder T-Shirts
- Farben: rot oder weiss
- Grössen: L, M, S

Auskünfte betreffend Spezialanfert-
igungen werden telephonisch unter
folgender Nummer erteilt :

(01) 821.32.59

Camisiae a me infra designatae mihi mittendae sint
pretio LIX Francorum Helveticorum (pro exemplari
manciis longis collarique confecto) / XXIX Franco-
rum (pro exemplari manciis brevibus confecto) :
Ich bestelle die unten von mir bezeichneten Pull-
over zum Preise von sFr. 59.- (je Rollkragenpull-
over) / sFr. 29.- (je T-Shirt) :

| <u>Numerus</u> (Anzahl) | <u>Color</u> (Farbe) | <u>Laxitas</u> (Grösse) |
|----------------------------|-------------------------|----------------------------|
| | | |
| | | |
| | | |

Aenigma

S O L V T I O N E S

=====

De solutionibus nobis missis sortes coniecimus.
Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium:

M.E. Wettstein
Rüterwiesstr. 24
8125 ZOLLIKERBERG

secundum praemium:

Carla Wiget
Schwyzerstr.
6422 STEINEN

tertium praemium:

Marcus Vinator
Via montis X
MMMMD SALODVRVM


| | | | | | | | | | | | | | | |
|----|---|----|----|----|----|---|---|---|----|----|----|----|---|---|
| 1 | G | U | B | 2 | E | R | N | 3 | A | T | 4 | O | 5 | R |
| 6 | A | P | U | D | | | | | 7 | R | E | P | O | |
| 8 | L | V | | 9 | O | P | E | S | | 12 | S | G | | |
| | L | | 13 | F | L | E | X | I | O | | | | U | |
| 14 | I | N | | 16 | A | R | E | A | | 17 | A | S | | |
| | | 18 | O | S | | | S | R | | 19 | E | M | | |
| 2 | N | N | | 21 | L | O | C | I | | 22 | | 23 | O | S |
| | A | | 25 | M | A | N | E | N | T | | | | I | |
| | R | 26 | U | | 27 | C | A | S | U | | 28 | U | T | |
| 29 | E | R | A | T | | | | | 30 | U | R | S | I | |
| 31 | S | E | M | I | S | O | M | N | U | S | | | | |

QVO PRAEMIUM ACCIPI POTEST : QVODQVE AENIGMA
RECTE SOLVTVM ET RVMORI VARIO MISSVM AD SOR-
TEM REVOCABITVR ! DIES VLTIMA KALENDIS IANV-
ARIIS MCMLXXXI EST !

PRAEMIA SVNT : primum praemium : LIBER
secundum praemium : LIBELLVS
tertium praemium : LIBELLVS

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 1 | 2 | 3 | 4 | 5 |
| 2 | | | | |
| 3 | | | | |
| 4 | | | | |
| 5 | | | | |

1. nomen feminarum
2. deus omnipotens, qui reddit homines vel be-
atos vel tristes (Abl.)
3. flos (Acc.)
4. iratus (Voc.)
5. ubi Herakles leonem interfecit



DE ITINERE QVATTVOR DIERVV PROXIMA AESTATE FACTO

Sub brumam anno eunte liceat nobis evocare memoriam remotae iamdudum superioris aestatis vel, ut accuratius dicam, paucorum illorum dierum mensis Iulii, qui post diuturnam pluviam sereni tandem et aestivi fuerunt. Est enim iucundum tristi hieme reminisci solis plenae aestatis et sperare nos aliquando posse iterum videre renascentem naturam cum floribus, frondibus longisque diebus.

Die vicesimo tertio mensis Iulii iter feci automobili usus comitante uxore. Domo profecti cursum tenuimus Octodurum, qui vicus hodie vocatur "Martigny", transitum Alpium petentes, cuius nomen famosum Latinae redditum est Magnus Sanctus Bernardus, Francogallice "Grand Saint Bernard".

In summo viae loco, ut scitis, hospitium est, ibique multis annis ante celebres illi canes tenebantur, staturā magnā, custodes hospitii, servatores etiam peregrinantium, quibus, si frigore et nive laborabant mortisque periculo expositi erant, auxilio veniebant liquores simul destillatos in receptaculis circum collos ligatis secum ferentes. Fama est canes illos tam fortes et sollertes amicos miserorum fuisse hominum, ut saepenumero peregrinantes servaverint, ne frigore perirent. Nostris autem temporibus illa ibi animalia nequiquam quaeras. Reperies quidem canes mille eiusdem generis, at non vivunt, sed ficti sunt imitando artificialiter e stramento et materiā syn-

theticā tanta arte, ut primo adspectu vivos te canes videre putes. Cuinam rei utiles sunt? Mercaturae nimirum. Namque viatores, imprimis e Germania oriundi, illos canes artificiales saepe emunt, sive memoriae causā sive ut habeant novitatem rei, quam postea amicis possint ostentare.

Venditores pietate et puerilitate ementium lucrum faciunt, quod illis non invidemus, quamvis ipsi non emamus. Canem vidi artificiosum tantā staturā, ut vitulum vivum adaequaverit miratusque sum, quomodo ullo recipi posset automobili. Caput concussi. At sunt, qui nihil curent nisi ut habeant, quod sit novum, insolitum, praeter morem.

Hospitium ipsum hodie iam nec munere nec pio officio fungitur, quo olim functum est neque est necesse fungatur temporibus mutatis. Viatores enim automobili vecti commodissime Alpes transeunt, cumque ad transitum pervenerunt summum, descendunt curru curiositate loci et desiderio paululum requiescendi permoti. Fortasse devertuntur in cauponam, ut cibum consumant et poculum vini vel cerevisiae vel coffeeae bibant.

Ceterum ibi vides complura aedificia, at hospitium maximum est unumque vetustate venerabili, adspectu monasterii, quod antiquitus fuit atque, ut opinor, est adhuc. Ambulantes circum altos muros intuemur et somniamus tempora iamdudum lapsa somnioque videmus umbras innumerabiles eorum, nunc mortuorum, qui per multa saecula hunc transitum Alpium superabant sive Italiam petentes sive Germaniam: legiones, mercatores, sacerdotes, laici, laeto animo aut tristi peregrinantes, fugitivi, patriā expulsi

aut in patriam revertentes. Utique tempora illa nostris conferenda non sunt. Puta, hodie plerique voluptatis causā faciunt iter. Quis porro dubitet, quin automobili vehi multum differat ab eundo pedibus? Iter, quod quondam pedibus est factum diebus tribus, fit hodie automobili horā unā et dimidiā. Pericula quidem nostra aetate minora non sunt, minores sunt labor sudorque. Fortasse hic dixerit quispiam laborem nos et sudorem impendere ad acquirendum automobile, quod acquisito itinera nostra reddamus faciliora: summam ergo summarum laboris et sudoris esse eandem. Quod si quis dicet, tacebo subridens.

Sed ut revertar ad propositum: Horā quartā postmeridianā Aostam versus descendimus, inde per vallem Aostae vecti ad pedes pervēnimus Montis Albi (= Mont Blanc), cuius cacumen ingens Phoebum occidentem magnifice resplendebat. Paulo post multo minore voluptate nos affecit vectio per viscera, ut ita dicam, Montis Albi, per illum specum duodecim milia passuum longum, atrociter foetentem vaporibus, quos emitti scitis ex automobilibus. Itaque alterā ex parte montis de foetore tenebrisque tandem emersi lucem salutavimus laeti prospectumque ad oppidum "Chamonix", quod late sparsum per vallem iacet.

Vesper erat nobisque deversorium investigandum, quod opinione apparuit difficilium toto loco advenarum frequentissimo. Horam circiter vecti per vias tandem repperimus, ubi pernoctare liceret, enimvero pretio magno. Erat enim, heu nos mendicos, deversorium ordinis primi! Paululum lamentati, collocato deinde cubiculo, corporibus curatis, exiimus cenatum. Divinabitisne, cur exierimus cenatum? Cur non libuit

cenare in deversorio? Iamne divinastis? - Nonne divinastis? Causa liquet: quia pretio fuisset nimio.

Culina Francogallica per terrarum orbem est celebris, ast ego gloriam quomodo adeptā sit, ignoro. Nulla enim in alia terra tam male umquam tantoque pretio epulatus sum quam in Francia. Dicant mihi aeterni illi laudatores culinae Francogallicae, quid in Francia et ubi et quo pretio invenerint, quod non melius et minoris pretii in Helvetia, terra nostra, praebatur!

Ego vero tam patriae amans non sum, ut nostra probem omnia, at culinam Helvetiorum Francogallicae praestare certe scio. Illo vespere etiam in oppido "Chamonix" diu erat quaerendum, quoad repperimus cauponam, quae aliquid boni offeretur ad cenandum. Namque omnes fere cauponae more Americano panecillos quidem praebent pernā aliquā vel caseo exornatos, at cenam veram et calidam frustra quaeres. Postremo stomachis latrantibus ecce taberna, quae lancem casei liquati suam commendat! Intramus: Puerum cauponium afferre iubeo. Paulo post affert: Revera est caseus liquatus (=Fondue). Gustatu exploro: vae mihi! - Scio, quid caseus liquatus sit, saepenumero expertus in Helvetia, at quod in oppido "Chamonix" ad manducandum apportatum est, cummi (= Gummi) fuit, aliud nihil, pretii quidem modesti, at gustu deplorabili.

Montem Album, summum Europae montem magnificentissimum esse visuque dignissimum concedo. Concedo etiam esse aliquid conspicere per fenestram cubiculi, cum mane e somno experrectus sis, Montem Album candida nive lucentem, at totum diem Montem Album spectare taedebit. Itaque

postridie mane uxori persuadere studebam, ut pergeremus vicum "Zermatt" petentes. Sed pertinax, ut est, primo se velle dixit videre mare, quod dicitur, glaciei, quo viā ferratā usque ad altitudinem duomilia centum pedes posset perveniri viderique maxima concreta glacies a Monte Albo defluens.

Cum autem uxori obloqui nequirem et nequeam, postridie in altum vecti sumus ad mare glaciei neque me paenituit. Quae enim ibi praebentur oculis, revera sunt magnifica: prospectus in altissimos montes, moles ingens nivium conglaciata sub pedibus ipsis viatorum, introitus cavernae glaciei, ubi sculpturae e glacie factae mirabili arte spectantur ceteraque omnia voluptati sunt et admirationi.

Ultimum, non minimum oblectamentum obtulit nobis caupona prope glaciem sita nomine "Montenvers" cenam opinione meliorem praebens. Quae cena forsitan me possit adducere, ut iudicium meum de culina Francogallica factum revocem, sed non revoco, quoniam hirundo una aetatem non facit. Iucundissimum autem nobis fuit notitiam facere cum domina quadam Lutetiae habitante. Eidem enim mensae assidentes mox in sermonem incidimus, qui nobis fuit gratissimus, cum elegantissime illa domina Francogallice loqueretur. Provectae iam erat aetatis, plus annorum sexaginta, staturā parvā et gracili, at corpore nervisque exercitatissima. Non enim, ut nos effeminati, viā ferratā usa, sed pedibus cottidie e valle usque ad mare glaciei ascendit. Quod mirantibus nobis dixit, quo plus proveheretur annis, eo plus voluptatis se e migrando pedibus capere. Magis mirabar videns, quam abundantem cenam sumeret persona tam gracilis. Prima enim fercula (= als Vorspeise) aderant farci-

mina crassa (= Mortadella) et thynnus (Thunfisch) oleo unctus. Secundum: ius, quod nomen habet a Mediolano. Tertium: macheroni more Neapolitanorum parati. Pompa (= als Hauptspeise) autem aderat pullus assatus (= Brathühchen). Quartum: ius Angligenarum (= Rumschnitte). Ultimum: caseus pinguis et male olens. Et ferculum quodque comitatum erat vino accommodato! Maximeque postremo mirabar videns mulierculam e capsulā promentem pápyrum fumíficum (= Zigarette) nomine Parisianam, quam fama est necare posse equum. Tum vero ego interrogavi dominam, nonne fumando impediretur, quin minus facile montem ascenderet. - "Sane impedior", inquit, "at hodie iam minus fumo, viginti summum cottidie."

Postridie profecti sumus per transitum, qui "Col de la Forclaz" appellatur, quod nomen nostro sermone vertam "Furkapass", sed non est sumendum pro illo "Furkapass" in pagum "Uri" ducente.

"Furka" nimirum vox est origine Latina, de qua Francogallice "Forclaz" deminutivum derivatum esse puto, utraque voce, ni fallor, idem fere significante.

Per vallem amoenissimam satis longam, floribus aestatis incredibili venustate fulgentem vecti, superato collo, alacres descendimus versus "Martigny", quod oppidulum in ima valle situm illis diebus aestu fervebat, ut est notum Wallisiae pagum inter calidissimos numerandum esse maximeque ob eam rem culturae vitium favere. Nos autem, qui vites non simus, sed homines aestu dolentes, e valle aufugimus quam licuit celerrime, motore accelerato, petituri vicum nomine "Zermatt".

Supersedeo, quae in itinere porro acciderunt, narrare singula satisque habeo dicere nos desiderio flagravisse spectandi tandem Montis Cervini (= Matterhorn), cuius cacumen fabulosum ad caelum superbe surgens tam est magnificentum, ut ex omni orbe terrarum viatores alliciat vitaeque prosperitatem incolis iam inde a fine saeculi nongentesimi praeberit praebeatque adhuc. Non dicam Montem Cervinum unum esse, qui prosperitatem attulerit, immo vero incolas hospitalitate et sollertia magnam partem contulisse, ut florerent negotia, pro certo habeo. Attamen primas partes ego quidem attulerim Monti Cervino.

Res vere calamitosa, quod multis annis ante aqua fontana Zermattensis fimo liquido tam foede inquinata est, ut unus et alter viator ferias ibi agens venenatus moreretur fama facti totum mundum pervaderet, hodie oblivione est obruta, et recte. Namque frequentatur vicus a viatoribus, velut si nihil accidisset generis eius. Et profecto Zermattenses confido malā fortunā doctos nunc etiam accuratius aquam fontanam custodire quam aliorum fortasse locorum cives. Ego certe ibi diebus calidissimis aquae hausi nihil timens quam plurimum, ubicumque inveneram.

Dr. Emanuel Bernard

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(ich bestelle RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
DONO DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.

(ich bestelle RVMOR VARIVS für
mit Rechnung an:



RVMOR VARIVS
Postfach 883

CH-8050 Zürich

HIC SOLVTIONEM INSCRIBE
ET CHARTAM MITTE !

DOMICILIVM MEVM :

| | | | | |
|--|--|--|--|--|
| | | | | |
| | | | | |
| | | | | |
| | | | | |
| | | | | |



RVMOR VARIVS
Postfach 883

CH-8050 Zürich


AZ

8050 Zürich

11+12/80

KALENDIS DECEMBRIBVS

MCMLXXX



RVMOR VARIVS

